

hostem eunt. Obsidebat per id tempus Sforcia Melcianam ar-
cem: qui, audito hostium accessu, in quibus ad sexaginta Pi-
lulariorum millia esse dicebantur, ita aciem in hostes adven-
tantes constituit, ut audito Sforciæ stratagemate, territi ho-
stes ausi non sint congregi. Marcellus qui illi hærebat, inspe-
cta summa ducis providentia, in re omnino satis trepida fer-
tur Venetias scripsisse: imminere a tam invicto duce non so-
lum Venetis, sed universæ etiam Italiæ ingens periculum, si
Mediolano fuisset potitus. Cedentibus itaque hostibus, Sfor-
cia obsidionem continuare perrexit: sed omnia illius consilia
ad urbem fame domandam spectabant. Attenta itaque armo-
rum statione urbem domabat, ita ut nonnunquam intra mu-
nitiones erumpens suburbana tecta subito incurfu incenderit.
In hoc statu Mediolanensium res erant, quum nostra civitas
ut inexpectatam, ita ingentem pene cladem adiit.

Stainatus quidam, Graji sanguinis homo, Cretaque insula
natus, dum forte Venetiis esset, ostenderenturque (quod
magnis hospitibus præstari solet) Borsio Æstensi publici the-
sauri, qui in parte aureæ ædis asservantur, ita accidit, ut
quasi unus ex illius domesticis ignotus Græculus sit sacrarium
ingressus. Tum vero ille ad stupendum rerum aspectum non
solum non animum remisit, sed ad nobilissimum furtum con-
festim adjecit. Est Divi Marci ædes, quam ab initio Auream,
quia pene tota purissimo fulget auro, appellavimus, intus
extraque circa imum marmoreis tabulis compacta. Ea igitur
templi parte, qua puerorum ara sita est, marmoream tabu-
lam fur ingeniosus exemit: inde nocturno opere defunctus
(quia non tam cito murus penetrari potuit) applicita suo lo-
co tabula, circumductoque tectorio ita ut nullum fracturæ
vestigium appareret, exhaustam inde materiem ante lucem
asportabat: atque hoc modo plures noctes operatus ad inti-
mum conclave pervenit: tum inde eximere cæpit amplissimos
thesauros, ad quos videndos cum Fæderici Imperatoris lega-
to admissus olim non sine stupore spectavi. Nam præter in-
gentem gemmarum vim, aliis atque aliis operibus insertam,
duodecim aureas coronas vidi, ac thoraces totidem, immen-
sa gemmarum multitudine munitos, quarum fulgor non mi-

*Furtum
ingeniosissimum.*